



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 12. De Absolutione Sacramentali

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

horum observatione videat illum periclitari. 8. Ne scrupulus scrupulo superinducatur, à multis discursibus cum scrupulosis abstinendum est.

Articulus Duodecimus.

De Absolutione Sacramentali.

I. **A**bsolutio à peccatis, necessariò necessitate Sacramenti, verbo oris debet exprimi, *ita Conc. Trid sess. 14. c. 3. docet præterea S Synodus Sacramenti penitentiae formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: ego te absolvo: Etsi verò hæc verba, ego te absolvo, essentialiter sufficiant, ex institutione tamen Ecclesiæ & communi usu addenda sunt verba à peccatis tuis. Sensus verò adæquatus formæ sacramentalis est; potestate judiciali mihi commissa, tibi remitto peccata per hoc Sacramentum, quod per se mediante gratiâ quam efficit, remissivum peccati est, hæc enim omnia virtute continentur in his verbis absolvo te.*

2. Non etiam est repetenda absolutio ob majorem numerum ejusdem peccati
post

post absolutionem à penitente, superadditum, si modicum tantum excedat, & in priori moraliter contineatur, aut ob circumstantiam quæ speciem non mutat, aut propter venialia tantum. Sed ob peccata speciem mutantia, aut mixtas circumstantias quæ malitiam peccati graviter immutant repetenda est peccatorum absolutio, quia illa novam materiam novæ Confessionis suppeditant.

3. Confessarius potest denegare absolutionem quando ex notitia in confessione habita, certo advertit, indispositionem aliquam in peccatore quæ opponitur fini Sacramenti, quia tenetur sacrilegium impedire. Indispositiones vero sunt sequentes, defectus patens in confessionis formali integritate, in attritione, in proposito emendæ, restitutionibus, reparationibus scandalorum, reconciliatione cum inimicis, occasionibus proximis fugiendis, obedientia ad satisfactionem congruam suscipiendam, recidiva continua non interpolata, quadam etiam in persona deprehensa fatuitate, vel quia nullum reale peccatum in singulari proponit.

4. Ex quibus infero Confessarium peccare si neget absolutionem pœnitenti ob solam dubiam ejus indispositionem. Item: Confessarius externam notitiam habens de peccatis pœnitentis, quam pœnitens negat, ubi illum sufficienter examina- verit debet hoc remittere ipsius conscien- tiæ & tanquam nesciens procedere ad ab- solutionem.

5. Peccatori autem non potest impo- ni pœnitentia publica ex vi hujus Tribuna- lis qua Sacramentum est, si per illam contra pœnitentem possit prætendi suspicio alicu- jus peccati etiam in genere, quia hoc tribu- nal ex natura sua debet esse secretum.

TITVLVS OCTAVVS.

*De Presbyteris illorum obligatione
& peccatis.*

Articulus Primus.

*Quid sit Presbyteratus quæve ejus
materia & forma.*

I. **P**Resbyteratus ordo sic adæquate de- scribi potest: quod sit Sacramentum
quo